



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. LXXX. An velle liberum Dei sit aliquid in ipso formaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

*Essentia ratio
doctrina.*

*Circa rem
non futuram
non potest
Deus habere
se negatam.*

19

ex dictis in hoc cap. manifeste colligo. Nam si voluntas Dei negative se haberet, id esset circa ea, quæ nunquam facturus est: ea enim, quæ in tempore facturus est, ab æterno ipse decreuit, & voluit, etiam speciatim, & sigillatim ut disputat. 87. & disp. 99. ostendimus: circa ea autem, quæ futura non sunt, nequit voluntas Dei negative se habere, ergo circa nulla hoc modo manere potest. Porro circa non futura non posse ita se habere, patet: nam quodlibet non esse creaturæ cuiuscunque referri potest ad diuinam voluntatem, tamquam obiectum appetibile, ut paulo post dicitur, quod ipsa velle possit: ponamus igitur Deum velle rem aliquam non esse: deinde, ut dicatur negative se habere, opus est variationem aliquam intrinsecam intelligere aut in ipso Deo, aut in rebus non futuris: nam si eodem modo utraque permaneant, eodem modo inter se referentur: nulla autem mutatio esse potest, non in ipso Deo, ut manifestum est; non in ipsis reb. non futuris, quia non futura eodem modo semper sunt non futura, ergo semper eodem modo debent ad voluntatem diuinam referri, aut tanquam volita, aut tanquam non volita: & voluntas Dei semper debet dici, aut velle eas non fore, aut non velle fore: voluntas autem Dei circa non futura non necessario negative se debet habere, quia illud non esse, ut supra dicebamus, appetibile quoddam est, atque adeo voluntas Dei potest illud velle: ergo dicendum est, non futura à Deo volita esse non fore.

Doctrina hæc utilis admodum est, nobisque non mediocriter deseruiet in materia de prædestinatione, & reprobatione. Non est itaque libertas in Deo, sicut in nobis, in eo quod possit velle rem aliquam facere, & cessare ab omni actu circa illam, sed in eo tantum, quod possit velle facere, aut velle non facere. Huic autem doctrinæ non obstat, quod Deus in aliquo signo rationis ex se possit à nobis indifferens considerari, hoc enim fit, quando ut intelligatur volens, debet supponi aliqua ratio ex parte creaturæ: ut ad volendum beatitudinem nobis intelligitur indifferens, antequam opera præuideat, ut disp. 95. cap. 2. contra Scotum dicemus.

*Malum vel
non esse rei
sub qua ratione
Deo displicet
necessario,
vel placet.*

20

Ex hac eadem doctrina sequitur primum non esse alicuius rei secundum se, quatenus malum quoddam ipsius rei est, non placere Deo: si enim placeret, displiceret res, ex cuius displicentia non esse illius, quod est eius malum, placeret. Displicet igitur necessario sub hoc respectu ita, ut sub eodem non possit ad diuinam voluntatem referri, tanquam obiectum appetibile complacentiæ, & amoris: sed sub alia ratione placere potest, nec enim in ipso est omnis ratio mali. Nam in non esse alicuius rei, potest comparatione ad reliquum vniuersum, vel ad iusticiam, vel ad potentiam Dei aliqua boni ratio apparere, ob quam non tantum potest placere Deo simplici complacentia, sed etiam efficaci voluntate, quæ decernat rem illam non facere. Similiter, cum Deus alicui negat gratiam suam, aut gloriâ, non placet, ut malum quoddam ipsius est, quia sicut non displicet persona, sic nec malum illius, ut illius est, placet: sed placet sub alio respectu, sub quo etiam non potest non placere, quia scilicet ostenditur in eo potentia Dei, misericordia etiam in electos, vel alia ratione, ut disp. 95. c. 9. notabimus.

Deinde sequitur libertatem voluntatis Dei, non

esse in eo, ut possit sub eadem ratione aliquid odio habere, aut amare, & in hoc est necessitas quoad specificationem, quæ in nobis quoque circa quodcunque obiectum reperitur; idem enim quatenus idem, non potest odij, & amoris obiectum esse: neque libertatem Dei esse in eo, ut possit actu simplicis complacentiæ, aut displicentiæ amare, & non amare, odio habere, & ab odio cessare suspendendo actum, quæ est libertas quoad exercitium, quia quod odio habet, non potest non odio habere, & quod diligit simplici affectu, non potest non diligere, aliqua enim suspensio actus in Deum non cadit, ut supra monstrauimus. Est tamen libertas in Deo, & ea perfectissima, circa res creatas quoad exercitium voluntatis, & amoris efficacis hoc pacto, quia potest Deus velle Petrum producere & non velle producere, hoc est, habere actum amoris efficacis, & non habere illum, sed cessare. Hoc vero colligimus ex varietate obiectorum, non ex aliqua in Deo mutatione (etenim suspensionem actus negauimus supra, quoties nulla apparet varietas nec in rebus, nec in obiectis) nam eo ipso, quod res futura est, vel non futura, aliter ad Dei voluntatem refertur.

Est tamen obseruanda differentia inter nostram, & Dei voluntatem; in nobis namque ita est libertas quoad exercitium, ut possimus velle aliquid facere, & non velle cessando ab omni actu, ut non sit necessarium actu positiue velle non facere: at Deus ita caret actu volendi rem aliquam facere, ut eo ipso positiue velit eam non facere, ut prædictum est.

DISPUTATIO LXXX.

An velle liberum Dei sit aliquid in ipso formaliter.

Varia opiniones Scholasticorum. cap. 1.

Velle diuinum esse ipsammet essentiam Dei peculiari modo à nobis intellectam, & significatam, verior opinio est. cap. 2.

CAPVT I.

Varia opiniones Scholasticorum.

Cum omnis de Deo, & diuinis attributis disputatio ita difficilis sit ad intelligendum, multoque difficilior ad explicandum, ut iuxta Dionysium, & communem Patrum sententiam supra disp. 22. cap. 5. citatam, quid non sit deus, facilius, quam quid sit, mente concipiamus, & verbis significemus: tum eam in primis, quam nunc examinandam proposui, per obsecram, & per difficilem semper existimaui, nam quamuis mens humana, quid non sit, certa ratione consequi valeat; tamen quid sit instilletur rerum humanarum, plene eloqui non potest. Tota vero questionis difficultas in eo est, quod cum deus ita libere velit creaturas producere, ut poterit non velle, aliquis voluntatis actus in eo esse videtur, ac proinde aliqua perfectio, quæ non necessario, sed libere ei conueniat, quod statim absurdum apparet: contra vero si omnis voluntatis operatio immanens deo necessario inest, sequitur aliud non minus falsum, nempe deum necessario velle, quæcunque vult. In questione igitur proposita ipsa rei oppressa difficultate nonnulli recentiores Scholastici minus recte cum Caietano senserunt, quorum sententiam

Sententia
Caietani.

sententiam in hoc cap. referam, & eius falsitatem paucis impugnabo, vt in sequenti quid magis rationi, & principijs fidei consentaneum sit, facilius exponam:

Confirmatur
auferente
S. Tho.

Caiet. igitur in a. 2. perspicue docet, velle creaturas producere esse perfectionem intrinsece, & formaliter in Deo, liberam tamen. Cum dicit liberam, putat esse additamentum quoddam diminuens multum naturam perfectionis, quare non indicat absurdum, concedere Deo perfectionem liberam, quæ ita ipsi conueniat nunc, vt posset ab æterno non conuenire; id quod de perfectione necessaria ipsius Dei nequaquam licet concedere. Hanc opinionem colligit ipse ex mente Doctoris S. in art. 2. Nam eius ratio, quæ probat Deum velle creaturas, quia omne perfectum cupit se alijs communicare, supponit esse perfectionem in eo, qui ei communicat, non solum posse alijs se communicare, sed etiam velle actu se communicare: ergo cum in Deo non possit esse talis perfectio necessaria, quia non necessario se communicat extra, debet esse libera, ac proinde talis, quæ possit Deo conuenire, & non conuenire. Hanc opinionem sequuntur recentiores quidam, qui vt omnem difficultatem, & absurdum effugiant, putant satis esse concedere, voluntatem illam liberam, quæ ponitur aliqua Dei perfectio sola ratione, aut certe ex natura rei, formaliter tamē, ab ipso Deo distinguui.

Consultatur
primo Caietani
sententia,
Bertr.

Ceteram quacunque ratione hæc sententia explicetur, defendi nullo modo potest, eiusque falsitatem optime ostendit Ferrar. 1. contra gent. c. 75. Consultati autem potest primum, quia si aduersarij concedant, voluntatem illam esse intrinsecam perfectionem in Deo, ita tamen liberam, vt potuerit in eo non esse, non possunt id sola distinctione rationis salutare, quod enim adesse, vt abesse potest alteri, ab eo distinguui ex natura rei necesse est, vt ostendimus disp. 116. cap. 3. Tum etiam asserere distinctionem ex natura rei inter ea, quæ sunt in Deo, præterquam in personis, est manifeste falsum, vt ostendimus disp. 116. & 120. Ad hæc, quomodocunque distinguatur voluntas illa libera ab ipso Deo, si intrinseca est, non potest non esse ipse Deus: nam quicquid est in Deo, ex natura rei est ipse Deus, & æquale ipsi Deo, ergo tam necessario est, quam ipse Deus. Absurdum igitur est dicere, potuisse esse in Deo, & non esse, sic enim etiam ipse Deus ita libere esse, vt potuisset non esse, aut certe concedendum est, aliquid esse in Deo quod supra naturam non sit Deus, id quod non minus absurdum putat Bern. fer. 80. super cant. arguens contra Gilbertum, vt referemus infra disp. 116. & 120. Idem damnauit Berna. cum Episcopis congregatis, in Concilio Remensi, cuius acta memorabimus infra disp. 120. cap. 2. nam in symbolo fidei inter alia dicitur, *Credimus & confitemur solum Deum, & ceteras aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates vel unitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* vbi cum plane definiant Patres nihil esse ab æterno in Deo, quod non sit ipse Deus, damnant Caieta. & alios asserentes actum voluntatis liberæ in Deo, qui non esse potuit in Deo ab æterno, nec ex natura rei sit ipse Deus, quæ sane definitio licet in omnibus non sit confirmata per Eugenium 3. vt disp. 120. videbimus: magnæ tamen auctoritatis esse debet, ergo siue dicatur illa voluntas perfectio simpliciter simplex, siue non simpliciter simplex, *Vasquez in 1. part. Tomus 1.*

si tamen est aliquid intrinsecum Deo, non potest ita libere Deo conuenire, vt potuerit in eo non esse.

Et sane si in Deo esset actus quidam voluntatis liberæ, qui potuisset ab æterno non esse, non videretur negandum, posse Deum quædam intensius, alia minus intense diligere, non solum ex parte obiecti, & boni voliti, sed etiam ex parte actus, quod est contra doctrinam S. Th. infra q. 20. a. 7. & 4. & omnes censent absurdum. Porro autem id se qui pater, quia, si in Deo est actus, qui potuit non esse nec illa est ipsamet essentia Dei, potuerunt etiam esse varij actus, atque adeo vnus alio perfectior & intensior.

Deum sicut Caiet. concedit in Deo perfectionem liberam, quæ ita ab æterno in Deo est, vt potuerit in eo non esse, concedere etiam eodem modo posset relationem in tempore ex creatione, quæ libere Deo conueniret, quia non minus conuenit Deo, ab æterno necessario esse eo modo, quo nunc est, quam eodem modo semper perseverare, & ita est contra Dei simplicitatem, constantiam, & necessitatem, aliquid habere ab æterno libere, quod posset non habere, sicut habere illud ex tempore. Nam licet habere ab æterno aliquid, quod posset non habere, non arguat in Deo mutationem ex vno, in aliud, hæc enim solum potest in tempore fieri: arguit tamen varietatem, quæ posset Deo accidere, & quæ non minus est contra illius simplicitatem, & constantiam, & necessitatem, quam mutatio ex vno in aliud est contra illius immutabilitatem. Quod si cum sola distinctione rationis possumus intelligere actum liberum, qui Deo potest ab æterno conuenire, & non conuenire, cum eadem sola distinctione possemus asserere, ei aduenire in tempore realem relationem, absque vllō detrimento suæ simplicitatis, & absq; vera mutatione reali. Ex quibus sequitur, non esse in Deo indifferentiam, & potentiam, realem ad actus internos elicitos, quia reuera nihil est in Deo elicitum, quod posset non esse, bene tamē ad creaturas exterius producendas, quia potest libere producere has potius, quam illas, de quo iterum disp. 101.

CAPVT II.

Velle diuinum esse ipsamet essentiam Dei peculiari modo a nobis intellectam, & significatam, verior opinio est.

Superest, vt difficultatem propositā diluamus, simulq; explicemus, quomodo voluntas Dei, qua libere voluit ab æterno creaturas producere, ipsi conueniat: atque primo contra, Caiet. tanquā certum statuamus, non esse aliquam realem Dei perfectionem ipsi intrinsecam, quæ libere ei conueniat: id enim cum diuina simplicitate & immutabilitate omnino pugnat, vt probatum est.

Secundo voluntas hæc libera Dei non est pura relatio, & habitudo rationis ad res volitas: nam cum Deus dicitur velle creaturas producere, hoc modo loquendi non solus respectus rationis, sed etiam vitalis operatio, vel ipsa essentia Dei ad modum vitalis operationis, ac proinde aliquid Deo intrinsecū denotatur, neque enim velle dicitur aliquis solo respectu rationis. Tercio voluntas hæc libera non est nuda essentia diuina, hæc enim ita necessarii Deo inest, vt non possit non inesse, quare si ea sola redderet Deum volentem producere creaturas, non posset non velle illas producere, forma enim quæ necessario inest, necessario etiam præstat effectum.

Secundo ab
absurdo.4.
S. Thomas.Reijctur
Tercio.Nulla perfectio Dei
sola ratione
distincta potest libere
illi conuenire.

5.

Deus non est
indifferens ad
actus elicitos
internos.Voluntas Dei
libera non est
perfectio intrinseca.

6.

Neque respicit
Deum tantum
sola essentia
diuina.

ER

*Quid sit vo-
luntas Dei
libera.*

Est igitur voluntas libera Dei, essentia diuina significata per modum actus vitalis, & affectus elicit, cum reuera sit ipsamet substantia Dei; includit tamen habitudinem etiam quandam rationis ad res futuras, quæ libere Deo conuenit, sicut etiam res libere futuræ sunt. Cum enim hæc re-
litio confurgat ex fundamentis non necessarijs, nempe ex rebus ipsis, & obiectis futuris, ipsa etiam habitudo libere Deo conuenit non intrinsece, sed extrinseca solum denominatione, quam Deo conuenire, & non conuenire non est absurdum; ergo cum velle liberum Dei non solum includat essentiam, sed cum tali respectu, etiam si libera voluntas possit Deo abesse, & adesse, nihil sequitur absurdi, quod diuinæ simplicitati, & immutabilitati repugnet.

Eodem modo de præscientia philosophati sumus disp. 68. cap. 3. & 6. videlicet eam esse ipsam substantiam Dei, quæ alias cognitio est creaturarum possibilem, addito respectu solum rationis ad res futuras, quarum dicitur præscientia, ita ut si res futuræ non essent, Deo quidem deesset præscientia, sed non scientia, sic igitur si res futuræ non essent, non esset in Deo libera voluntas, quæ significatur cum illo respectu libero; esset tamen voluntas complacentiæ, ipsa nimirum essentia diuina cum respectu rationis necessario ad res possibles, sicut ibidem de scientia rerum possibilem diximus. Hanc sententiam tradit Ferrar. cap. illo 75.

*Gregor.
sententia
exponitur.*

Neque vero contrarium docuit Greg. in 1. d. 47. q. unica post 7. conclus. cum dixit velle diuinum, quo vult hoc, vel illud facere, nec habitudinem ad ea, quæ vult facere, esse contingentem, aut liberam, sed necessariam; intelligit enim essentiam ipsam Dei, quæ est eius velle, & habitudinem, quam habet ad res ipsas possibles secundum se, horum enim utrumque est necessarium, non liberum, subiungit enim statim, ipsum tamen velle quo vult hoc, vel illud facere, est contingenter velle, vel volutio faciendi illa. & habitudo est contingenter habitudo ad illa. Idem docet de præscientia, quasi dicat, ipsa essentia Dei in se, quæ est eius velle, est necessaria, habitudo illa ad res secundum se, est necessaria, sicut de scientia Dei nunc dicebamus, sed quatenus dicitur voluntas rerum futurarum cum habitudine ad illas, ut futuræ sunt, omnino libera est, quia ad illas libere refertur & hæc libera relatione dicitur libera earum voluntas.

*Sec. sententia
Aureoli.*

Neque etiam contrarium docuit Aureolus in 1. d. 47. q. 1. a. 1. quem ipse Grego. paulo supra allegauit, & impugnare contendit, ex ipso enim refert hæc verba: Deus producit, quicquid producit absque hoc, quod determinetur per aliquod velle intrinsecum ad producendum, quod producit, nihilominus tamen dicitur voluntarie producere, & quod producit, quia vult producere, propterea, quia in sua potestate habet producere, & non producere, sicut & g. ignis si in sua potestate & domino haberet presentem stipulam ignire, & non ignire, dum igniret, diceretur voluntarie ignire, & querenti, cur igniret, responderetur quia vult, non quia velle exprimeret aliquem actum determinatum, sed tantum plenitudinem potestatis, hæc tamen ille, quæ verba meo iudicio præprehendi, aut notari non debent: nam licet Deus libere dicatur velle producere, non tamen determinatur re ipsa ad producendum potius, quam non producendum per actum aliquem intrinsecum; sicut nos eliciendo potius hunc, actum, quam alium in

*Ad præ-
sentiam rerum
non se deter-
minat Deus
per aliquod
intrinsecum.*

hanc partem potius determinatur, quam in aliam; diuina etenim voluntas, quæ est eius essentia, in se ipsa intrinsece non mutata, semper manet, & eodem modo in se est ac si ab æterno nihil facere decreuisset. Recte igitur Aureolus dixit, Deum non determinari ad producendum potius, quam non producendum per aliquod velle intrinsecum, hoc est, per aliquid peculiare, quod sit in ipso intrinsece, sicut falso putauit Caiet. nam id quod intrinsece in Deo est, non magis ipsum inclinatur ad producendum, quam ad non producendum; ergo non dicitur libere producere, quia libere ab aliquo intrinseco peculiari determinetur ad unam partem potius, quam ad aliam, habendo in se ipso intrinsece hoc potius, quam illud; sed ideo libere producit, quicquid producit, quia nihil ex ijs, quæ facit, refertur ad ipsum necessario.

Quo autem pacto Deus se ipsum determinet ad hoc potius, quam ad illud, ineffabile sane est, nisi quod nostro modo intelligendi intelligimus essentiam Dei, quæ est eius voluntas, habere circa futura peculiarem rationem voluntatis cum respectu illo rationis, & ideo initio huius disp. dixi, in hac controuersia certa ratiocinatione à nobis intelligi posse quid non sit, hoc enim meo iudicio, contra Caiet. euidenter probauimus: quid tamen sit, & quo pacto voluntas determinetur, explicari non posse.

Habemus ergo ex omnibus, quæ dicta sunt, voluntatem liberam Dei, quæ se vult communicare extra, prout libera est: non esse aliquam in Deo perfectionem, nam ut talis, includit respectum rationis ad creaturas futuras. Neque vero S. Thom. vsquam docuit, esse aliquam Dei perfectionem, velle se alijs communicare, ut recte admonet Ferrar. cap. illo 75. solum enim dixit bono, quatenus perfectum est, id conuenire, hoc est, actum proprium boni, & perfecti esse, alijs suam bonitatem impertire, & ita quamlibet rem non tantum sibi desiderare suam perfectionem, sed alijs etiam se communicare: quocirca Caiet. non probat ex doctrina S. Thom. id, quod contendebat.

At obiecit aliquis hoc modo, tamen si scientia Dei habeat rationem præscientiæ ex relatione rationis proveniente à rebus futuris, ex quarum variatione definitur esse præscientia; velle tamen liberum Dei non potest habere rationem liberi ex relatione illa proveniente à rebus ipsis futuris: est enim manifestum discrimen. Nam præscientia, ut talis est, supponit rem futuram, tanquam obiectum, circa quod versari debet, ut disput. 68. c. 6. probatum est, eo quod præscientia non sit causa rei futuræ, sed potius res futura sit quodammodo causa illius, ut ibidem explicatum manet: at voluntas libera, etiam ut libera, est causa rei futuræ: ideo enim hoc potius, quam illud erit, quia Deus hoc, & non illud fore libere decreuit: ergo ratione relationis provenientis à rebus futuris non voluntas libera, hæc enim relatio rebus ipsis futuris posterior est.

Respondent aliqui, prius intelligi liberam in Deo voluntatem, prout liberam, quam res sit futura, non tamen sine ordine ad rem futuram, tanquam aliquid posterius, & consequens illam: addunt vero essentiam diuinam ex se habere, esse potius volitionem liberam huius, quam alterius, & pa.

& putant ex se ipsa referri ad hoc obiectum potius, quam ad illud.

Ceterum aut incidit hæc sententia in opinionem Caietani, impugnatam, aut omnino contradictionem in se ipsa inuoluit: si enim ex se habet essentia sine ullo respectu rationis, aut extrinseco ad res futuras esse potius volitionem liberam huius quam illius, sequitur in Deo esse aliquid, quod potuit ab æterno non esse, quod est absurdum: si vero non sit sine ordine ad res futuras, ille non potest esse realis, sequeretur enim idem incommo- dum, scilicet potuisse ab æterno in Deo non esse ordinem, qui modo est: debet igitur esse ordo rationis, cuius fundamentum sit æternum. Sicut enim ab æterno dici potest voluntas libera, sic etiam ab æterno debet esse fundamentum saltem futurum, ex quo talis dici possit: nam ex se sola non diceretur potius huius, quam alterius: idem enim quatenus idem, semper eodem modo comparari debet. Ex creaturis vero non potius diceretur volitio huius, quam alterius, nisi in hac potius creatura, quam in illa esset peculiaris ratio, sed hæc esse non potest, nisi quia una creatura futura est, alia vero non, ergo fundamentum illius relationis, ex quo volitio Dei dicitur libera, est futura creatura.

Accedit, quod aduersarij fatentur, liberam voluntatem non intelligi sine ordine ad res futuras: quod vero addunt, tanquam ad quid posterius, manifestam continet contradictionem: relatio enim non potest esse prior suo termino, ergo si libera voluntas, ut talis, refertur ad rem, ut futuram, sequitur saltem debere esse simul rem, ut futuram cum ipsa volitione Dei. Ceterum prius esse rem futuram, quam illam relationem, aliunde probatum manet, quia cum sit relatio rationis, & illius fundamentum non sit sola Dei essentia, sed res ipsa futura, unde sumitur denominatio, efficitur ut prius sit res futura, quam illa relatio.

Nodus hic mea quidem scientia, insolubilis est, vix enim vitare possumus circulum in reddenda ratione, ob id tamen incidere non debemus in absurdum Caietani. ut concedamus in Deo esse aliquam perfectionem, vel aliquid absolutum, aut respectum aliquem realem ita libere, ut ab æterno potuerit in Deo non esse, atque idcirco initio notari certissima ratione inuestigari posse, quid in hac non sit, quid vero sit, verbo explicari difficillimum, aut pro hoc statu impossibile esse. Qui autem videt Deum, de eius voluntate libera, quatenus principium liberum est rerum futurarum, longe aliter sentit, & videns ipsum, sicuti est, vni- co verbo exprimit absque hisce relationibus rationis. Nihilominus nos, quibus non licet aliter de Deo loqui, quam instar rerum creaturarum, quas videmus & experimur, dicimus ipsum libere volentem, & tanquam causam liberam nominamus, confuso quodam conceptu. Cumque in re prius natura, & causalitate solum sit diuina essentia in se considerata, sine actu libero elicto, qui possit adesse, & abesse, quam per modum actus, & decreti liberi: tamen pro hoc statu Deum intelligimus tanquam causam rerum futurarum, ac si apud se, sicut nos, actu aliquo libere decreuisset; ex eo, quod ipsa essentia Dei in se non habet necessariam connexionem cum creaturis, ut sunt, sed cum eis libere comparatur: non quia in Deo sit actus li-

Vsq[ue] in part. Tomus L

ber, qui possit in Deo non esse, sed quia actus qui Deo necessario est, libere comparatur cum creaturis.

Ceterum hoc modo licet assignemus libertatem in Deo, comparatione facta cum obiectis & rebus creatis, tamen non assignamus sufficientem rationem ex parte Dei, cur nunc actu libero efficaci referatur ad has potius, quam ad illas, siquidem idem omnino in se manens poterat eas non velle, quas vult, quare cum rem exactius enodare contendimus, difficultatem prædictam euadere non possumus. Ceterum tamen est id, quod præcedenti disp. cap. 2. notavi, nempe non posse nos tribuere varias denominationes voluntati diuinæ, nisi per respectum ad res vario modo se habentes, cum rebus autem absque villa variatione, semper eodem modo nostro more loquendi, comparari debet.

Quid in illa sit in explicabile.

14.

ARTICVLVS. IV.

Vtrum voluntas Dei sit causa rerum.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod voluntas Dei non sit causa rerum. Dicit enim Dionysius capit. 4. de diuin. nomin. Sicut noster Sol non ratiocinans, aut præligens, sed per ipsum esse illuminat omnia participare lumen ipsius valentia, ita & bonum diuinum per ipsam essentiam omnibus existentibus immittit bonitatis diuinæ radios. Sed omne quod agit per voluntatem, agit ut ratiocinans, & præligens. Ergo Deus non agit per voluntatem. Ergo voluntas Dei non est causa rerum.

2. Præterea. Id quod est per essentiam, est primum in quolibet ordine. Sicut in ordine ignitorum est primum, quod est ignis per essentiam. Sed Deus est primum agens. Ergo est agens per essentiam suam, quæ est natura eius. Agitur per naturam, & non per voluntatem. Voluntas igitur diuina non est causa rerum.

3. Præterea. Quicquid est causa alicuius per hoc quod est tale, est causa per naturam, & non per voluntatem. Ignis enim causa est calefactionis, quia est calidus: Sed artifex est causa domus, quia vult eam facere. Sed Augustinus dicit in 1. de doctr. Christian. quod quia Deus bonus est, sumus. Ergo Deus per suam naturam est causa rerum, & non per voluntatem.

4. Præterea. Vnius rei una est causa. Sed rerum creaturarum est causa scientia Dei, ut supra dictum est. Ergo voluntas Dei non debet poni causa rerum.

Sed contra est, quod dicitur Sapient. 11. Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?

Oq. 2

Respon-

118.

1. d. 4. m. 3. Et
3. cont. c. 97.
Et li. 4. c. 10.
prin. & po. q.
3. art. 15. Et
psalm. 50. con.
2. Et to. 5. lib.
3. Ca. 4.
circa prin.

Li. 1. de do.
Christ. cap.
32. item 3.

140.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, voluntatem Dei esse causam rerum, & Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturæ, ut quidam existimauerunt. Quod quidem apparere potest tripliciter. Primo quidem ex ipso ordine causarum agentium. Cum enim propter finem agat intellectus & natura, ut probatur in 2. Physicor. necesse est, ut agenti per naturam prædeterminetur finis, & media necessaria ad finem ab aliquo superiori intellectu. Sicut sagittæ prædeterminatur finis, & certus motus a sagittante. Vnde necesse est, quod agens per intellectum, & voluntatem sit prius agente per naturam. Vnde cum primum in ordine agentium sit Deus: necesse est quod per intellectum, & voluntatem agat. Secundo, ex ratione naturalis agentis, ad quod pertinet ut vnum effectum producat: quia natura vno, & eodem modo operatur, nisi impediatur. Et hoc ideo, quia secundum quod est tale, agit. Vnde quandiu est tale, non facit nisi tale. Omne enim agens per naturam habet esse determinatum. Cum igitur esse diuinum non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectionem essendi, non potest esse quod agat per necessitatem naturæ nisi forte causaret aliquid indeterminatum, & infinitum in essendo: quod est impossibile, ut ex superioribus patet. Non igitur agit per necessitatem naturæ, sed effectus determinati ab infinita ipsius perfectione procedunt secundum determinationem voluntatis, & intellectus ipsius. Tertio ex habitudine effectuum ad causam. Secundum hoc enim effectus procedunt a causa agente secundum quod præexistunt in ea: quia omne agens agit sibi simile. Præexistunt autem effectus in causa secundum modum causæ. Vnde cum esse diuinum sit ipsum eius intelligere: præexistunt in eo effectus eius secundum modum intelligibilem, & per modum intelligibilem procedunt ab eo, & sic per consequens per modum voluntatis. Nam inclinatio eius ad agendum quod intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem. Voluntas igitur Dei est causa rerum.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius per verba illa non intendit excludere electionem a Deo simpliciter, sed secundum quid: in quantum scilicet non quibusdam solum bonitatem suam communicat, sed omnibus prout scilicet electionis discretionem quandam importat.

Ad secundum dicendum, quod quia essentia Dei est eius intelligere & velle, ex

hoc ipso quod per essentiam suam agit, sequitur quod agat per modum intellectus & voluntatis.

Ad tertium dicendum, quod bonum est obiectum voluntatis. Pro tanto ergo dicitur, quia Deus bonus est sumus, in quantum sua bonitas est ei ratio volendi omnia alia, ut supra dictum est.

Ad quartum dicendum, quod vnius & eiusdem effectus etiam in nobis est causa scientia ut dirigens, qua concipitur forma operis, & voluntas ut imperans: quia forma ut est in intellectu tantum non determinatur ad hoc quod sit vel non sit in effectu, nisi per voluntatem. Vnde intellectus speculatiuus nihil dicit de operando. Sed potentia est causa ut exequens, quia nominat immediatum principium operationis. Sed hæc omnia in Deo vnum sunt.

Conclusio articuli est, Cum Deus agat per voluntatem, non autem necessitate naturæ, voluntas Dei est causa rerum. Quædam leuioris momenti quæ ad explicationem articuli notatione dignæ erant, sequi disp. vnâ cum doctrina ipsius examinabimus.

DISPUTATIO LXXXI.

Ad voluntas Dei sit propinquior causa rerum, quam intellectus.

Deum extra operari per voluntatem, non per naturam fide Catholica certum est. cap. 1.

Voluntatem Dei esse propinquior causam rerum, quam intellectum. c. 2.

CAPVT I.

Deum extra operari per voluntatem, non per naturam, fide Catholica certum est.

Supponimus initio huius quæst. id quod inter Catholicos indubitatum est, nempe, Deum extra se operari non per naturam, sed per voluntatem, hoc est, principium productionis extrinsecæ non esse ipsam naturam deitatis, quatenus est, sed quatenus vult. Cum enim ipsa a nobis dupliciter consideretur, primum quatenus dat esse Dei, quod est ipsi omnino naturale, & necessarium: deinde, quatenus ad res externas refertur per modum libertatis voluntatis, dicimus, non esse principium operationis, quatenus est forma dans esse Dei, sicut formæ agentium naturalium, sed quatenus vult, sicut homo, & creatura rationalis operatur. Atque hoc voluisse S. Thom. in hoc acriter dixit, Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturæ, affirmant Caiet. hic & Ferrar. 2. contra gent. c. 23.

Ex quo sequitur alter sensus, quem prædicta verba reddere possent, nempe, Deum agere libere, non necessario: sed prior est quem Doctor S. voluit exprimere, fuit autem sententia Iuliani Martini lib. 4. Christianis a gentilibus propositarum explicatione 3. Christianis enim interrogantibus verum Deum essentia sua operaretur quatenus est, an quatenus vult: respondebant gentiles, Deum operari sua essentia in quantum est, id quod Iulianus late

2. Phys. tex.
49. tom. 2.

2. 7. art. 2.